

From *Tractatus et sermones* (1490), sig. z4 verso-A2 recto.

Sequitur sermo factus per reverendissimum in Christo patrem dominum Petrum de Aillyaco, cardinalem Cameracensem in concilio generali, anno Domini 1417 de sancto Ludovico, Karoli regis Sicilie filio, episcopo Tholosano.

Euge serve bone et fidelis quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui, Matthei 25. Ad laudem sancti et beatissimi confessoris atque pontificis Ludouici, cuius hodie festum colimus, multum pertinere dinoscitur quod in verbis propositis sibi tamquam speciali amico et familiari a Domino suo dicitur. Euge serve bone et fidelis quia nimium fidelis servus Domino quasi alter ipse mutua dilectione coniungitur. Unde in Ecclesiastico scriptum est: Servus fidelis est tibi sic tibi quasi anima tua, Ecclesiastici 23. Sed quia raro servus bonus et fidelis inuenitur, ideo querit Dominus in evangelio. Quis putas est fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam, Matthei 24. Cui questioni convenienter satis facimus si hunc gloriosum pontificem de quo nunc agitur exhibemus. Fuit enim ipse fidelis et prudens servus, et propterea merito dictus est servus bonus quia hec duo, fidelitas scilicet et prudentia, in servo bono non immerito coniunguntur. Prudentia quippe sine fidelitate declinat in maliciam. Fidelitas vero sine prudentia declinat in stulticiam. Fuit itaque servus bonus quia fidelis et prudens: fidelis in intentione, prudens in operatione; fidelis in exequendo bonum, prudens in precavendo malum; fidelis in ministrando, prudens in discernendo. Magnus ergo et admirabilis dominus qui servum malum aut servum stultum non eligit, hunc fidelem et prudentem servum in suum servitium specialiter acceptavit. Nec tamen ipsum statim ad maiora promovit, sed prius in minoribus probatum, postea merito constituit super familiam suam. Constituit inquam primo intra familiam suam cum eum vocavit. Constituit deinde supra familiam suam cum eum promovit. Constituit postremo supra totam terram suam cum eum glorificavit. Ubi queso attendite huius almi pontificis divinam promotionem, sueque promotionis ordinem. Primo quidem sue gratifice vocationis intra familiam Christianam. Secundo sue magnifice promotionis supra ecclesiasticam familiam, scilicet ecclesiam Tholosanam. Tertio sue beatifice glorificationis supra omnem habitationem terrenam et infra celestem patriam. Hec est itaque triplex ipsius promotio: prima ad gratiam baptismalem, secunda ad presidentiam pastoralem, tertia ad gloriam eternam et finalem. Huic igitur servo bono et fideli iuxta evangelice lectionis parabolam fideliter negocianti et de talentis a domino sibi traditis, prudenter utiliterque superlucranti magna abundansque remuneratio presentatur, dum eum Dominus suaviter alloquitur dicens: Euge serve bone et fidelis etc. In quibus verbis iuxta premissa tria nobis consideranda notantur. Primo namque premittitur gratifica vocatio, Euge serve bone et fidelis. Secundo promittitur magnifica promotio, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. In primo notatur meritum virtuose operationis. In secundo debitum fructuose retributionis. In tertio premium gaudiose exultationis. In quorum declaratione sub consideratione triplici totius nostri sermonis ordo atque decursus principaliter versabitur.

Consideremus itaque primo qualiter in his verbis premittitur gratifica vocatio, in quo notatur meritum virtuose operationis quia sibi a Domino dicitur: Euge serve bone et fidelis. Sane hic sanctus pontifex ideo factus est bonus et fidelis servus quia ad hoc eum gratuitè vocavit supremus dominus. Nam ut ait Apostolus: Quos vocavit hos iustificavit; quia ergo hunc vocavit per gratuitam electionem, hunc et iustificavit per virtuosam operationem. Sed inter virtuosa eius opera et laudabilia merita ipsius fidelitas nimirum specialiter commendatur. Quia ut in Proverbiis scriptum est: Vir fidelis multum laudabitur.

O igitur beatum virum multa laude dignum qui per omnia fidelis invenitur. Fidelis inquam ad Deum, fidelis ad seipsum, fidelis ad proximum. Inter que omnia prima sibi cura fuit ut esset fidelis Deo quia qui cum Deo infideliter agit, nec dum sibi ipsi fidelis existit, qui vero sibi ipsi nequam est, ut sapiens ait cui bonus erit, Ecclesiasticus 14i. Ut ergo sibi ipsi fidelis esset ac proximo, summopere studuit fidelis esse Deo. Sed quo studio, qua arte, qua ve doctrina sic egerit, si placet attendite. Sane ut omnipotenti Domino se fidelem exhiberet servum, omnem eius abiecit et subiecit inimicum, mundum videlicet carnem atque diabolum. Hanc quippe doctrinam in evangelica scola didicit, hanc artem ibi Christus eum docuit, ubi ait: Nemo potest duobus dominis servire, duobus scilicet dominis sibi invicem contrariis et adversis. Igitur ut fieret ipse fidelis servus Christi renuit fieri servus mundi, servus carnis, servus diaboli. Sciebat quippe horum infidum esse servitium et Dei servitio penitus contrarium et adversum. Iuxta illud quod gemens canit ecclesia. Mundus, caro, demonia diversa movent prelia. Sed audiamus qualiter contra diversa et adversa huiuscemodi bella hic vir beatus potenti Dei virtute et sibi divinitus collatis spiritualibus armis dimicaverit ut fideliter Christo serviens tyranicum mundi, carnis et diaboli fugeret dominium eorumque vile et periculosum servitium devitaret. Precessit in primis ad hoc spirituale certamen, precessit inquam post vocantem et prevenientem Dei gratiam, bona morum institutio et adolescentie disciplina. Nam ut fide dignis testimoniis de eo papa Iohannes attestatur, in etate existens tenera, sub magistri religiosa diligentia tenebatur. Ita tamen ut maturis moribus incendendo sub tenello pectore se gestare senilem animam ostenderet. Sic quippe prima illa etas adolescentie institutis moralibus imbuta est, ut semper postea bonum virtutis odorem diu tenaciterque servaret. Iuxta egregium illud oracii: Quo semel imbuta est recens servabit odorem testa diu. A quo tractum est illud vulgatum: Quod nova testa capit inveterata sapit. Accessit deinde frequens lectio et divinarum servens studium scripturarum. Sciebat illud Hieronimi: Ama scientiam scripturarum et carnis vitia non amabis. Ideoque sicut de eo legitur, audience verbi Dei insistebat, et pro pastu anime in scripturis sanctis studebat attentius. In quibus sic profecit quod solemniter clero et populo sufficiebat proponere verbum Dei, adeo ut putaretur scientia hec infusa sibi divinitus magis quam humanitus acquisita. Quid mirum! Accessit nempe studio sacre lectionis, etiam devotio sancte orationis. Nam in orationibus sedulis et devotis mentem elevatam tenuit. In quibus tam servens extitit, ut factus sacerdos etiam diebus quasi singulis celebraret. Quid plura! Hiis sanctis et devotis eius actibus ad impugnandum vitia, comites accesserunt, abstinentia, sobrietas, pudicicia, castitas, totiusque vite honestas incorrupta quam contra omnia vitiorum incitamenta cum Dei adiutorio potissima constat esse remedia. Et in primis quia iuxta vulgatum Terentii proverbium: Sine cerere et bacho friget Venus, ipse cum apostolo Paulo sobrietate cibi et potus corpus suum castigabat assidue, quodque mirum dictu est carnem suam teneram frequenter catenis ferreis disciplinans, pro camisia rudem staminam vestiens, etiam ad nudam carnem cordam grossam pro cingulo deferebat, sicque cum Apostolo dicere poterat: Castigo corpus meum et in servitatem redigo. Nec immerito, quia corpus spiritui et non spiritum corpori servire dignum est. Ideo egregie dicebat Seneca: Maior sum et ad maiora genitus quam ut mancipium corporis mei sim. Corpus ergo suum vir sanctus spiritui subiiciens a puero tanto castitatis amore servebat, quod ob ipsius fidam custodiam omnino mulierum vitabat consortia, adeo ut vix cum matre et sororibus solus cum sola, ulla umquam tempore loqueretur. Verba etiam in honesta horrebat audire, et loquentes talia graviter arguebat, prudenter attendens illud Apostoli: Corrumptunt mores bonos colloquia prava. Ubi tamen consideranda est etas formositasque sua. Recogitandumque est quo in tempore pudiciam servaverit. Illo, inquam, tempore perditissimo et corruptissimo quo prodigium quoddam est castitas et in quo maxime incidit illud poeticum: Rara est concordia forme atque pudicicie. O igitur mire vite honestas et puritas incorrupta, que non immerito miraculorum

splenduit claritate, quam teste Hieronimo contra Iouinianum. Ubi multa et preclara dat virginitatis preconia, puritatis vite et precipue virginitatis premium in multis etiam infidelibus et ydolatris fuit divinatio et miraculorum operatio. Prout de sibillis decem et de Cassandra et de Claudia que cingulo navem traxit exempla posuit. Quid ergo mirum si vir tante castitatis atque puritatis inter christicolas fide clarissimus multis ac magnis meruerit clarere miraculis. Sed dum in sue sanctitatis admirationem movet ipsa miraculorum operatio, non minus in eo venerandum reor mirum illud et preclarum opus caritatis quo in pauperum compassione sanctissimi confessoris Martini exemplum laude perpetua commendandum, non minus laudanda imitatione secutus est. Cum enim, ut narrat hystoria, vir Dei Parisius iret, pauperi quem quasi nudum repperit multum compatiens, abscondite contulit, non quidem medium clavidem ut Martinus sed integrum cappam quam portabat. O igitur eximie caritatis exemplum! O vere servum bonum et fidelem, et iuxta evangelicam sententiam omnino fidelem dispensatorem, quem constituit dominus super familiam suam ut det illis cibum in tempore! O vere fidelem dispensatorem qui non sibi retinet quod dispensare debet nec dispensat extraneis sed hiis qui sunt de familia domini sui, scilicet ecclesie ministris et pauperibus membris Christi. Nec vendit turpiter quod debet dare gratis et liberaliter. Nec dat indiscrete sed prudenter et moderate, quia dictum est ut det illis cibum in tempore. Nec dat rem inutilem et damnosam, sed salutarem et fructuosam, quia sequitur. Ut det illis in tempore tritici mensuram ubi intellige triticum, id est cibum spiritualis doctrine, et cibum temporalis substantie. O utinam sancta mater ecclesia nunc, proch dolor, acephala et apostolico pastore nostris demeritis diutius quam expediret destituta, talem servum bonum et fidelem, talem summum pontificem, servum servorum Dei per canonicam electionem celeriter habere mereat! O utinam talis hodie reperiatur in ecclesia fidelis dispensator! Utinam talis nobis fiat summus pontifex ecclesie gubernator atque dispositor. Utinam ecclesie ministri talem sibi dispensatorem constitui querant quem in exemplum vite et conversationis honeste sue mentis oculis anteponant. O felicem illum! O ter quaterque beatum, qui huius sancti pontificis exemplo paratus erit, ecclesiasticorum mores erroresque corrigere, desolatam ecclesiam consolari, deiectam erigere, dissipatam divisamque recolligere et reunire! Quis erit hic et laudabimus eum. Laudabimus inquam eum, sed magis Deum, qui talem nobis sua gratia donaturus est atque ei dicturus: Euge serve bone et fidelis. Et hec de prima consideratione sufficient.

Consideremus secundo qualiter in premissis verbis promittitur magnifica promotio. In quo notatur debitum fructuose retributionis cum subditur, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam. Certe pauca et parva fuerunt in quibus vir iste sanctus fideliter ministravit in comparatione ad ea multa et magna que Dominus sibi finaliter retribuit. Quod utique de eterna retributione manifestum est cum ea que nunc fideliter serviendo gerimus, ad ea que tunc recepturi sumus comparata quasi nulla vel inutilia reputare debeamus, Christo teste qui ait: Cum feceritis omnia que precepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus. Sed ut de temporali retributione loquamur, id est de hiis que huic fideli servo in hac vita et debito promissionis, non quidem ex debito condigni sed congrui, pro fideli administratione et administrationis retributione commissa sunt specialiter prosequamur. Ecce ante oculos vestre discretionis ponimus quod hic sanctus pontifex quia in pauca et parva id est temporalia fidelis fuit. Ideo dominus eum supra multa et magna, id est supra spiritualia constituit. Cum ergo Dominus eum a regni temporalis regimine ad spirituale regimen transtulerit ac magnifice sublimaverit, recte dictum est: Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Parva quidem ac parvipendenda esse temporalia respectu spiritualium notavit Apostolus dicens: Si vobis spiritualia seminamus non magnum est si temporalia vestra metamus. Videamus itaque primum qualiter circa temporalia fidelis extiterit, ac deinde qualiter non immerito supra spiritualia constitutus fuerit. Ipse namque ex regali prosapia patre vicem Karolo rege Sicilie,

matre vero Maria Sicilie regina ac Ungarie originem suam traxit. Magnum hoc laudis preconium, sed maius quod in eius hystoria subditur quia altum sui generis sapere recusavit, semper humilia diligens. Laudamus ergo in hoc viro sancto regalem prosapiam, nec qualemcumque sed illam que preclarissime pro pagini regum Francie proxima extitit, propterea de eo canitur. Flos ortus inter lilia quorum radix est Francia, illa videlicet Francia que caput est et superior ac maior portio Gallie. Cuius laudes me alias allegasse memini et nunc etiam recitare curavi, non solum ad huius sancti laudem sed ut erubescant et confundantur Gallie detractores, suique honoris et glorie atque prosperitatis et pacis invasores et perturbatores. Ipsa est igitur quam veteres sapientes inter alias orbis partes maximis laudibus extulerunt. Illa namque Gallia nobilis, ut eam Lucanus appellat; illa bello ante Romanos gloriosa, ut Salustius ait; illa felix strenuissima milicia, ut Claudius ait; illa audax et animosa insuper pascuis uberrima, ut Oracius; illa specie hominum aurea atque lactea, cultuque nitidissima, ut Virgilius; illa potentissima cuius pleno consensui nec ipse orbis obsistat, ut Cesar Iulius; illa aspera bellicose et que prima post Herculem, invicta alpium iuga transcendit, ut Iustinus; illa terra mole corporum et omni prorsus genere terribilis, ut Anneus Florus; illa flos atque firmamentum Romani imperii, ut inquit Tullius; illa parens disciplinarum, ut Iulius Celsus; illa virorum acris ingenio, ut ait Ysidorus; illa carens omni monstru, ut Quintilianus et post eum Hieronymus; illa nutrix religionis non negligens, ut inquit Titus Livius; postremo ut brevi verbo multa concludatur: illa cuncta regna precellens, ut ait Gregorius. Sed quod omnem precellit laudem illa lampas splendidissima que eodem teste fidei orthodoxe radiosha claritate inter obscuram gentium aliarum perfidiam choruscat. Certe huius Gallie fides, sueque fidei ac religionis claritas, quam dudum Gregorius sic extulit. Nunc etiam in hoc generali concilio multum emicuit, et de die in diem magis ac magis clarescit, licet nonnulli eam obscurare frustra nitantur. Ideoque ut insipientes confundantur, quia ut egregie Salustius ait: Frustra niti et non nisi odium querere extreme dementie est.

Iam vero ad proposita redeat oratio. Hic ergo sanctus tam ex patre quam ex prosapia nobilitate laudandus est, cui tamen natalis patria aut regalis prosapia a quibus originem traxit nequaquam tantum laudis intulit quantum eis ipse contulit. Unde nec in ipso magnopere aut miror aut laudo quod nobilem ortum habuerit. Istud enim nature est aut fortune. Miror potius et maximis laudibus dignum iudico quod hanc originis sue claritatem nequaquam perversorum morum tenebris obfuscavit, sed magis ac magis illustravit, adeo ut etiam si obscurus ei ortus fuisset, nihilominus veram nobilitatem, que non nisi per virtutem umquam parta est, sibi ipsi contulisset. Prout apud Salustum fecisse gloriatur Marius et Tullius in invectiva quam in eundem Salustum habuit, cuius hec verba sunt: Ego, inquit, meis maioribus virtute mea perluxi. Et post pauca: Satius est etenim me meis rebus gestis florere quam maiorum opinione niti, et ita vivere ut ego sim posteris meis nobilitatis initium et virtutis exemplum. Ab hac itaque sui generis claritate quia extrinsecus est et nonnumquam malis propria, hunc virtuosum virum nequaquam commendarem nisi preceptorem in hoc sequerer philosophum in rhetoricis, nisi etiam in sacris litteris plures et nominatim Christum matremque eius commendatos cernerem, quia ex regali stirpe Dauid exorti sunt, nisi insuper ad miranda magis redderetur tanta ipsius humilitas in tanta sublimitate, tantaque vite puritas in eo qui potuit transgredi et non est transgressus facere mala et non fecit. O utinam hec attente considerent multi hodie ad ecclesiasticas dignitates et beneficia titulo nobilitatis promoti, qui de parentum laudibus absque propriis immo cum multis viciorum obprobriis tumida elatione superbiunt, et dum inde glorio si esse putant falluntur. Nam irrisioni potius et contemptui, ne dicam eterne damnationi, sunt proximi. Preclare quidem apud Salustum prenominatus. Marius ait: Profecto ita res se habet, maiorum gloria posteris quasi lumen est neque bona neque mala eorum in occulto patitur ideo quanto vita predecessorum preclarior tanto hominem secordia flagitosior, ideo siquidem sapiens eleganter eos simee comparavit,

quia quanto in excelsiori ac clariori loco ponitur eo amplius deformis eius effigies irridetur. Econtra vero iste sanctus quanto altius sublimatus est, tanto suis virtutibus eius clara nobilitas evidentius patefacta laudatur.

Si ergo laudamus in eo generis claritatem quam natura dedit, laudemus eam multo amplius quam divina donante gratia ipsi sibi bonis moribus comparavit. Si laudamus quod in libera familia genitus est, laudemus magis quod liberam mentem habuit a servilibus moribus alienam. Si laudamus denique quod generosum a regali stirpe ortum traxit, laudemus potius altum generosumque eius animum, regni terreni et divitiarum regalium quasi rerum vilium contemptorem. Summo namque studio ut de eo legimus, terrena cuncta calcare voluit. Considerans enim quod mundus iste cum omni concupiscentia sua transit ipsum fugiens totaliter deservit et contempsit. Ideoque altissime et artissime paupertatis regulam, beatissimi scilicet Francisci religionemque fratrum minorum professus est. O mira res et alias inaudita! Hic namque beatus vir iuri primogeniture ac regno voluntarie renuncians Christi paupertatem eligit. Nec hoc quidem infructuose aut inutiliter egit, sed miro et felici commertio regalis solii spreta pompa pro regno corruptibili eternum regnum fideliter mercatus ac feliciter lucratus est.

Audivimus igitur qualiter vir iste sanctus circa temporalia fidelis extiterit, quia videlicet ea fideliter estimavit non magna reputans, sed respectu spiritualium parvipendens et quasi vilia contemnens. Et propterea quid inde a Domino meruerit audiamus, supra multa te constituam, supra multa quippe et supra magna, id est supra spiritualia constitutus fuit et magnifice sublimatus, non solum in celesti et eterna, sed etiam in presenti terrena et transitoria vita. In qua ad spirituale regimen venerande ecclesie Tholosane non tam humana quam divina electione vocatus est. Non enim temerarie hunc sibi honorem assumpsit. Sed ut Apostolus ait: Vocatus a Domino tamquam Aaron. Nam teste Iohanne papa. Cum felicis memorie papa Bonifacius predecessor suus eidem suaderet ut preberet assensum electioni de se facte ad dictam ecclesiam. Respondit se nullatenus facturum hoc, quoque votum prius secretum et deinde solemniter iteratum de intrando ordinem fratrum minorum efficaciter complevisset, quo facto, provisioni premisse suum prebens assensum, non tam preesse cupiens quam prodesse humiliter mandatis apostolicis obedivit. Cui tamen ecclesie ex magna humilitate postea renunciare voluit.

O felicem ecclesiam que talem ac tantum habere meruit pontificem, qui licet in eius regimine multis claruerit meritis et magnis choruscaverit virtutibus, illud tamen in eius laudem preciuam memorandum est quod mira compassione ferebatur ad pauperes! Unde factus episcopus per unum sibi familiarem secretarium mandavit inquiri de suorum quantitate reddituum quantumque sibi sufficeret pro rationabilibus et moderatis expensis, volens quod totum residuum daretur pro sustentandis pauperibus, quibus tam privatas quam publicas elemosinas largiter dispergebat, ut de eo merito diceretur illud Psalmorum: Dispersit dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi. O magnum caritative compassionis exemplum, in tam magno prelato et tam magni regis filio qui sibi et suis parcus erat ut Christi pauperibus largus fieret! O utinam hoc exemplum imitari studeant prelati ecclesie, ut sic evitare valeant divinam maledictionem Ezechielis prophete! Ut pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, ut non sint de illis qui iuxta sententiam apostoli querunt que sua sunt, non que Iesu Christi, seu potius qui non solum sua querunt, sed non sua capiunt, rapiunt aliena, ut videlicet de bonis ecclesie que ultra moderatum victimum ipsorum et vestitum ad pauperum pertinent usum, seipsos pascant id est superflue vivant. O utinam non solum superflue, utinam non super modum et debitum ordinem viciose viverent ministri ecclesie, utinam non in crapula et ebrietate, non in luxuria et feditate, non in superbia et vanitate, non in muliebri lascivia, non in militari familia, non in seculari pompa; non ad superabundantiam, sed ad sufficientiam; non ad superfluitatem, sed ad necessitatem; non ad ostentationem, sed

ad sustentationem; non cum lesionē pauperum, non cum gravamine ovium, non cum scāndalo subditorum. Sed ve et iterum atque iterum ve vobis, quia hec omnia vicia in clero experimur, et contra hec in hoc sacro concilio multa de reformatione loquimur, sed pauca vel nulla exequimur! Multa in codicibus scribimus, pauca in cordibus de morum reformatione sentimus. Clamat membra de reformatione capitī ipsis in monstruosa viciōrum deformatione manentibus. Tacent sua vicia, accusant aliena. Aliorum infirmitatem sanare contendunt et propriam sanitatem contemnunt, nec solum eam negligunt, sed medicine opem ferre volentibus contradicunt. O monstruosa deformitas et deformis reformatio! Ecce iam, proch pudor, ab ecclesia caput subtrahitur, iamque acephala derelinquitur, ut membrorum reformatione postposita, capitī reformatio preferatur, cum tamen canonica provisio super futura electione sit prima et principalis reformatio ecclesie pre ceteris necessaria, ac debito ordine nullatenus postponenda, quia hec deformitas, scilicet quod ecclesia maneat acephala, est periculosisima, et per consequens huius deformitatis reformatio est pre ceteris necessaria, ut quidam egregii doctores tam divino quam humano iure coram iudicibus in causis fidei declarare proponunt, quibus econtra alii repugnare contendunt. Inter hec, proch dolor, dum ecclesie unionem querimus, in varias divisionum contentiones ac discordias oberramus, ut merito nobis timendum sit illus quod ab infallibili veritate dicitur. Omne regnum in se divisum desolabitur. Et illud Salustii: Sicut concordia parve res crescunt ita discordia maxime dilabuntur. Et hec de secunda consideratione.

Consideremus tertio qualiter in verbis premissis proponitur beatifica glorificatio, in qua notatur premium gaudiose exultationis, quia concluditur: Intra in gaudium Domini tui. O magnum beatifice glorie premium! O gaudiosum et summe exultationis verbum: Intra in gaudium Domini tui! Sicut enim infidelibus servis et reprobis triste et valde horrendum est audire illud quod eis sub evangelica parabola de fatuis virginibus dicitur: Ite quia clausa est ianua, sic profecto huic fideli servo quid iocundius esse potuit quam audire: Intra in gaudium Domini tui, in gaudium videlicet non terrenum et transitorium, sed celeste atque perpetuum, ubi Christus celum sibi preparat hospitium, ubi celi cives sibi prestant consortium, ubi cum eis celeste participat convivium, de quo dicitur: Intra in gaudium Domini tui. In gaudium, inquam, eterne beatitudinis, que sola recte a Boecio describitur, quod est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Cuius status perfectionem nequit lingua describere, quia nec eam sensus aut intellectus humanus capere sufficit, dicente Apostolo: Nec oculus vidit nec auris audiuīt nec in cor hominis ascendit que preparavit Deus diligentibus se.

Hec ergo hactenus de laudibus huius sancti pontificis et servi fidelis diximus. Iam vero de moribus ecclesiasticorum servorum seu ministrorum nostri temporis aliqua breviter disseramus. Ubi diligenter attendat vestra discretio et cum timore et tremore vestra devotio ferventer intendat. Heu, heu! Quā pauci sunt hodie ecclesie ministri, qui huius fidelis servi exemplo audire mereantur: Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Sed nunquid multi sunt servi Dei, nunquid multi ministri Christi. Sane multi sunt et pauci: multi numero, pauci merito; multi mali, pauci boni. Multi namque clerici et sacerdotes, multi episcopi et presules, multi religionum ordines, multi vocati religiosi fratres, multi vocati magistri et doctores, multi vocati ecclesie ministri et dispensatores, ut merito de tali onerosa multitudine dictum fuerit per prophetam: Multiplicasti gentem et non magnificasti leticiam. Unde in reformatione huius sacri concilii ut alibi dixi, nam inutile videretur talem excessivam multitudinem restringere. Nec hoc esset ut quidam contentiose arguunt statum ecclesiasticorum aut religiosorum destruere sed magis construere, nec diminuere sed augere. Multi ergo imo generaliter omnes unius domini servi sumus, sed pauci servi fideles qui audire mereamur: Intra in gaudium Domini tui. Cur ita? Quia profecto ad illud gaudium Domini, ipso teste: Multi vocati, pauci electi. Sed quare pauci electi? Quia videlicet pauci boni et fideles servi. Rarum quippe est et valde difficile, servum

bonum et fidelem reperire. Hinc sapiens in Proverbiis ait: Virum fidelem quis inveniet? Hinc in evangelio querit Christus: Quis putas est fidelis servus et prudens? Hinc etiam dicit Apostolus: Iam queritur inter dispensatores quis fidelis inveniatur. Heu, heu! Viri, patres et fratres, si hec tunc dicta sunt, quid nunc dicturi sumus? Quid, inquam, dicemus in hoc fedo et infami tempore quo fidei fervor, spei vigor, et charitatis ardor in servis et ministris ecclesiasticis fere totaliter evanuit? Hoc namque miserabile tempus beata Hyldegardis Germanorum prophetissa muliebre vocat et infame ipsumque ab anno dominice incarnationis millesimo centesimo asserit inchoasse, quia tunc apostolorum doctrina et ardens iusticia, quam in spiritualibus constituerat Deus, tardare et in hesitationem verti cepit. Et deinceps omnia ecclesiastica instituta in deterius descenderunt et ex quibusdam tenebris iniusticie obtenebrata sunt. Et ut eadem, inquit in fine, illius muliebris temporis super omnem clerum et ordinem ecclesiasticum. Heu horrendum presagium gravissimi scismatis et confusionis laqueus extendetur, durabitque illud sordidum tempus usque ad illud magnum scisma quo episcopi et clerici a suis locis et civitatibus expellentur! Ex quibus verbis satis clare nobis videtur intelligi quod hoc nephandum et a 40. fere annis inveteratum scisma adhuc, proch dolor, usque ad maiorem cleri persecutionem continuabitur. Vel quod absit scisma maius et deterius subsequetur. Quod utique fieri pertimescendum est ex future electionis summi pontificis et debite circa eam provisionis longa nimis et scandalosa dilatione quam nonnulli procurare videntur. Contra quod scandalum et pericula inde verisimiliter secutra quidam egregii doctores et theologi veritatis zelatores congrua fidei remedia adhibere conantur.

Hunc autem ecclesie mirabilem et miserabilem lapsum beatus Bernardus super Cantica scribens sermone 33. flebiliter lamentatur, ubi sic ait: Serpit hodie putrida tabes per omne corpus ecclesie, et quo latius eo desperatius eoque periculosius quo interius. Et enumeratis quibusdam excessivis abusibus ecclesiasticorum. Subdit: Olim predictum est et nunc tempus adimpletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hereticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum, non fugare, non fugere eos potest. Ita invaluerunt et multiplicati sunt super numerum. Intestina et insanabilis est plaga ecclesie, et ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace. Et pax est, et non est pax. Pax a paganis, pax ab hereticis, sed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore isto. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Spreverunt et maculaverunt me a turpi vita, a turpi commertio, a negocio denique per ambulante in tenebris.

Ex quibus manifestum est quod longo iam tempore ecclesia fuit multipliciter deformata, indiguitque et nunc maxime indiget ut in fide et moribus reformatur. Sed nunc membris ecclesie separatis a capite et apostolico dispensatore ac directore parentibus, hec reformatio nequaquam bene fieri posse speratur. Et hoc ideo precipue, quia tam dum inter dispensatores quis fidelis queritur, vix, proch nephas, hodie invenitur.

Inventi sunt tamen olim in hoc fedo et infami tempore, nonnulli boni et fideles servi, qui miserante Dei gratia vita et doctrina leguntur in ecclesia floruisse. Floruit quippe in Francia prememoratus Bernardus Clarevallensis. Floruit in Germania prefata eidem contemporanea Hyldegardis que de futuris temporibus multa legitur prophetasse. Floruit in Calabria Ioachim abbas venerabilis qui etiam spiritum prophetie, vel potius secundum Guilhelimum Parisiensem donum intellectus in expositione prophetiarum dicitur habuisse. Floruit quoque in Hyspania beatus Dominicus, et in Italia beatus Franciscus, qui tamquam due oliue fructifere duos fecundissimos religionum ordines et ex eis fructus plurimos noscuntur produxisse. Floruit denique et ex prefati Francisci ordine fructum magnum attulit noster venerandus pontifex Ludovicus, cuius parentes ob devotionem beati Ludovici Francorum regis sanctitatis, cuius et morum imitatem esse vehementer affectabant, ipsum vocari Ludovici nomine decreverunt, quia videlicet a regibus Francorum paternam duxerat

originem. Illo igitur tempore pessimo et ut in eius legenda scribitur. Nunc hora instantे novissima, ille qui facit mirabilia magna solus, opus produxit mirabile claritate glorie sue plenum. Quo universam ecclesiam pravis filiorum suorum moribus quasi in tenebris desolatam, reddidit novitate tam clare sobolis letabundam, dum videlicet hunc dilectum suum confessorem eximium, puritate candidum, charitate fervidum, et cuncta morum honestate conspicuum, produxit noviter ut exemplar prefulgidum cunctis fidelibus imitandum, eius vite singularis excellentiam signis probans, et crebris prodigiis ac choruscantibus miraculis manifestans.

Sed quia his novissimis temporibus suspecta esse possunt miracula, propter proximum antichristi adventum, qui per se suosque ministros falsis miraculis seducet populum Christianum, ideo artem de mirculorum ratione et quantum intersit inter miracilia malorum et bonorum miracula expedit paulisper disserere.

Sciendum igitur secundum doctores theologos, et precipue sanctum Thomam, secundo sententiarum. distinctione 18. questione 3. capitulo 10. omne miraculum aut supra naturam, aut contra naturam est, aut preter naturam, quorum exempla dimitto brevitatis gratia. Per quattuor autem conditiones seu differentias vera a falsis miracula quantum humana scire patitur imbecillitas se cernuntur. Prima differentia est, quoniam magi, auruspices et arioli, aut solum prestigiis et iudificatione sensum, aut per privatos demonum contractus operantur ea que in rei veritate a causis naturalibus fiunt per celerem et imperceptibilem activorum cum passivis applicationem, sicut Augustinus super Exodum de magis Pharaonis ostendit. Vera autem miracula veraciter fiunt, et super virium naturalium potentiam a Deo principaliter ab aliis ministerialiter concausantur. Secunda differentia est, quia de rebus vanis supervacuis et inutilibus ac plerisque nocivis sunt malorum opera, ut excecare homines, eos subito et immobiliter figere, serpentes immittere, volatum simulare, et his similia. Secundum vero Augustini verbum in sermone de temptatione Christi: Inane est omne miraculum quod utilitatem salutis non operatur humane. Et hanc differentiam tangit Petrus in itinerario Clementis. Tertia assignatur differentia, quia miracula vera in confessionem vere fidei, falsa vero in eius subversionem fiunt, et quantenus veram fidem Christiani deserant aut in falsa suis exigentibus demeritis infideles perseverant.

Quarta vero superadditur: mali namque non per vite puritatem, aut divini nominis invocationem sicut boni, sed per nescio quos barbarorum nominum strepitus per mugitiis horrendos, ut de Sybilla narrat Virgilius 6. Eneydos, nonnumquam incidendo se cultris, et pueros sacrificando detestabiliter operantur, utunturque aliquando cadaveribus humanis et ceteris infandis et obscenis, quemadmodum Lucanus poeta libro sexto, ubi de tessalis mulieribus loquitur curiose valde et copiose descriptsit. Audistis ergo qualis sit inter vera falsaque miracula discretio. Unde patet quod huius sancti miracula a falsorum miraculorum conditionibus aliena sunt, sicut possem plenius declarare, nisi ad finem sermonis cogeret temporis angustia. Hic ergo sanctus miraculorum operibus, sed amplius morum virtutibus clarus effulsit in Dei templo. Nunc vero ut stella matutina, ut luna solari lumine plena, imo verius ut sol refulget in celo. Ubi a rege celorum feliciter sublimatus audire meruit: Euge servi bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Cuius gaudii nos secum participes efficiat, qui sine fine vivit et regnat. Amen.

Explicit sermo factus per reverendissimum in Christo patrem dominum Petrum de Aillyaco cardinalem Cameracensem, in concilio generali habito Constantie anno Domini 1417, de sancto venerabili Ludovico episcopo Tholosano.